

Matthias Swederus jur. svec. &  
rom. professor ord. lecturis  
s.p. Qvod nemin...

Svederus, Matthias

*82 Aa 16/3*



National Library  
of Sweden



Qvod neminem Vestrum, CIVES, fugit, è medio excessit mense superiore, Juvenis Eximius atque Præstantissimus DN. ISRAEL MALMBECCHIUS. Natus is erat in Smolandia Ecclesie Dalmbäck pago Botorp/ a tenuioris qvi em fortunæ parentibus, piis tamen & honestis; Patre agricola TORSTANO NICOLAI, Matre INGRUDE JOANNIS Filia. Neque vero tali patre prognatum fuisse, Malmbecchio ad virtutem & doctrinam parandam dedecori magis fuit, quam Socrati, quod pater ei marmorarius, aut Euripidi, quod olitor, aut Theophrasto, quod ullo contigisset. Elementis pietatis domi tinctus, ad scholam Triviale Junecopensem, Rectore, qvi jam dudum obiit, Doctiss. DN. Svenone Lallæro, est missus, ab eoq; 25. Januarii Anni 1674. pro more loci introductus. A cum schola Trivialis à triplici doctrina, utpote Grammatica, Rhetorica & Logica, quæ ibi proponi incubarique solet, nomen est sortita suum; tum hinc & præceptores, docendique in singulis classibus magistri, sui sunt admoniti officii, atque rectè illud diligenterq; præstare allaborarunt, & hic ipsorum alumnus ea est scientia ac disciplinis imbutus, quæ studiis Academicis & facultatibus altioribus merito præmitti debent. factum hoc modo est, ut ad annum 1685. in hac schola talis evaderet, ut his cum fructu percipiendis idoneus censeretur. Dimissus itaque est eodem anno, cum bona Rectoris venia & testimonio, ad hancque accessit celebrem musarum sedem 6. Julii, & paulo post a Facultatis Phil. Decano, præmissis examinibus, probatus, inque numerum studiosorum relatus est. Ab illo tempore nihil prius ipsi fuit, quam ut patriæ suæ, & Ecclesie in primis, olim aptus commodusque foret. Et licet duro paupertatis telo, haud levi sæpè studiorum & bonæ mentis impedimento, premeretur, non tamen huic succubuit; quin etiam informatione Discipulorum sibi commissorum, illud, quantum unquam fieri potuit, depellere remove, que conatus est. profecit itaque in studio Philosophico, cui se inter alia addixerat, in tantum, ut ante biennium, egregium specimen progressus & diligentie suæ, conscriptâ proprio Marte doctâ Dissertatione de EFFECTO, ederet. Nec deinde cessavit, quamquam perpetua quadam & per annum integrum, quo Chiliarchi Generosissimi DN. JOHANNIS  $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta$  liberis, in bonis literis erudiendis, admotus erat, durante febre, affligeretur. Unde etiam huic sibi alioquin proficue conditioni renunciare & ad hanc urbem denuo redire coactus est. Quamquam id quidem ob studia sua, quæ ruri tam commodè tractari non poterant, quibusq; GRADUM, ut vocamus, PHILOSOPHICUM, tamquam scopum & metam ultimam, præfixerat, invitus non sece rat. Et vero ab hac non procul aberat. Nam cum examen styli subiisset seseque in eo idoneum præstitisset, tum in eo jam erat, ut examine riguroso tentaretur. cui se revera quantocyus submisisset, ni summo rerum omnium moderatori, vitæque nostræ arbitro DEO, aliud visum fuisset, qui septima proxime præterita Martii, seria peccatorum confessione, sanctaque Eucharistia, illo immortalitatis viatico, & æternæ vitæ pignore ipsum sibi reconciliatum, ex hac mortali statione evocavit. Et quoniã hodie hora prima pomeridiana, amici exanime corpus christiano ritu humare, & terræ reddere terram constituerunt: A vobis, PATRES CIVESq; Academici, reverenter & officiose p. unt, velitis præsentia vestra actû hunc condecorare & concioni funebri frequentes interesse. quomodo fiet id, quod humanitatis postulat ratio, & ipsis acceptissimum erit. valete! scri. p. p. ABOÆ 7. Aprilis 1693. sub sigillo Universitatis.



